

AK. 234.

Za  
1161

CLARISSIMO ET EXCELL.  
VIRO,

DN. IOHANNI BADE-  
HORNO LEONHARTII IVRIS-  
CONSULTI FILIO,

ILLVSTRISSIMI ET PO-  
TENTISSIMI PRINC. AVGVSTI  
ELECTORIS SAXONIAE  
CONSILIARIO.

ATQVE  
LECTISSIMÆ ET PUDICISSIMÆ  
VIRGINI,


ELIZABETHÆ PEIFE-  
RÆ, MAGNIFICI VIRI DN. DA-  
VIDIS PEIFERI IN GOSIGK, &c. INTIMI  
CONSILIARIJ EIVSDEM ELE-  
CTORIS SAXONIAE,  
FILIAE.

Carmina nuncupata solenni votorum nuptialium  
comprecatione.

LIPSIAE,

IMPRIMEBAT GEORGIVS DEFNERVS,  
ANNO

M. D. LXXXIIII.



Clariss. I. C. D. Ioanni Badehorno, Il-  
lustriss. Electoris Sax. Consiliario, celebranti nus-  
ptias cum pudicissima virgine Elisabetha, Viri Magnifici  
Dn. Dauidis Peiferi in Gosigk I. C. celeberrimi &  
eiusdem Electoris Sax. Consiliarij  
intimi, filia.

**M**ene etiam cantare iubes & ludere versu,  
Magne vir ingenio & virtutum laudibus amplis  
Prædite, dum sancire paras pia foedera casti  
Coniugij, primus quod sanxit Rector olympi,  
Cui benedicendo bona contulit omnia C H R I S T Y S ,  
Deq; liquore merum insipido cui fundit odorum.  
Vxor casta D E I donum est, & nobile donum est:  
Quam nisi sollicitis votis precibusq; colenti  
Propitium numen, certum est contingere nulli.  
Vnde dedisse reor te vota frequentia summo  
Autori rerum, sponsam tibi iungeret, ille  
Qualem exoptasti tandem coniunxit, amicas  
Seu spectare velis generoso in pectore dotes,  
Moribus ornatam tantis, facieq; decoram,  
Seu titulos numeres generosæ stirpis auitos,  
Vna patri cedit cui pars, pars altera matri.  
Et tibi, sponsa, virum, cui vita, scientia, mores,  
Sedulitas, grauitas, iuncta pietate fauorem  
Conciliant superum, cuius quoq; gloria, nomen,  
Virtus per totum quondam celebrabitur orbem.  
Fertilis eloquio est: Graiae Latiaeq; peritus  
Linguæ, est aggressu & sermone affabilis, id quod  
Esse solet rarum mortalibus ornamentum.  
Nam quo doctrina magis est quis cultus & arte,  
Moribus est tanto placidis humanior, vlos  
Nec temerè suevit tumido contemnere fastu.  
Hoc igitur quod ego possum precor: omnia tædis  
Fausta tuis: faxit magni moderator olympi,  
Qui vos par adeò concors & nobile iunxit,  
Quo par non aliud conuenit pulchrius vñquam.  
Natorum vt natos videatis tempore longo,  
Et rursum natos, & qui nascentur ab illis.

M. M. D.

## A L I V D.

**H**λυθεν αὖ καιρός γε μακάρτα Θ εὔχοις ἄλλων,  
 ὡς μὲν εὐφροσύνησιν οἰνοθαῖς θέμις ἔστι.  
 ἴδρις γὰρ νυκτί Θ ἄγει Βαδέορν Θ εἰς οἴκου  
 μητέλαι τειφήραμ, τὸν χαριεσέρα ἄλλη.  
 Στριεὶ γάμων ἀρχηγε, τύχειοι καὶ ὄλβοις ὅπαζε.  
 Οὐ μετις ἡδὲ χοροὶ συγχαίρετε πραΐσινε,  
 Αγρελοι, ἀϊδίτε τὰ πατέρος εἰς ὁψιμ, ιδόντε.  
 χαίρετε, τερπνοτάταις καίνις κλείοντες ἀοιδᾶς  
 Λῦδ Θ Θεωπέσιν, χάρμη γηθεῖτε μεθ' ήμῶν.  
 ἄξι Θ ἀρ μολπῆσι πόσιν, μάλα δ' ἄξιανύμφη.  
 Σχῆμοι τὰ κάδμια ἀγήνορ Θ, ἀρμονίης τε,  
 εἰς γάμους ἀν μάσται χάριτες τὸν ἐλθῶσαι ἀειδού  
 Καλὸν ἐπ Θ ποτὲ, πόλλα εὐφημώσαι γαμέστε.  
 Τὸν πολὺ κεν μᾶλλον ποιεῖν τόδε ἄξιον ὑμᾶς,  
 αγρελικοὶ διμῶνες, μεσῶν πολὺ φέρτεροι ὄντες,  
 ηνίκα δὴ Βαδέορνοις ὄμοζυγίη ἐρατεινή  
 ζεύγνυσι, τειφήραμ δέ ἀμανύμφησι ιμερόεσταμ.  
 ἀμφω εὐσεβεῖς, γνητήρεις ἐκγεγαῶτες  
 εὐσεβεῖς: Φείαις χαρίτεσι κεκασμένοις ἀμφω.  
 ὡς ἀρα νυκτί Φύλειοι ἀμα καὶ Φρένας ἐσθλὰς  
 δῶκε Θεός, μορφήντες επέωντες: ὁ Φρεσ λόγοισι  
 εὐφήμοισι Θεῷ καὶ ἀνθρώποισι δέσποινη.  
 ἀμμιγα δὲ ηγιάλιξε καλῶν δωρήματα τεχνῶν  
 πολλὰ φίλη πατέρων γαῖα, διδάσκαλοι ἡδὲ  
 Θηκε δικαιοσύνης Ζεύς, σεμνόνθειερησι.  
 ὡς δὲ αἴτως λαὸς μετεκίαθε τηλόθεοντας  
 αὐσονίης τὸν εμαθει τοφέιοι, καὶ ποικίλα εγνω  
 ἀνθεα τὸ γάλλων, μέγα τὸν ιδρείαν ἀέρων.  
 ἄξιοι δὲ κόσμημα πέλειτε πατρίδ Θ αἵτη.  
 ἄξι Θ ἡδὲ ποριπέπε Θ πάις εστι τοκῆ Θ.

A 2

ος δῆ

ος δὴ γηρά<sup>Θ</sup> ἐν δεσμοῖσιν ἐών, καλὰ δίδει  
δίνει, ημερτής, γεραρότε καὶ ἡπι<sup>Θ</sup> ἀνήρ.  
ἄλιαι ἔυδαιμον τοίχ τέκ<sup>Θ</sup> ἐν γονῇ<sup>Θ</sup>.  
μνησκὸν δ' αὐτὸν τίσυ πόσιμοισιν ἄμωμοι  
ὑψιμέδων; ὥπορ τὰ γαμήλια ἔργα μέμηλε.  
ταρθέν<sup>Θ</sup> ἐνί φύλω ἐρατίν καὶ κάλλος ἔχεσσιν  
τῶν χαρίτων δότο, τὰς δέδειν καὶ τότνια μητήρ  
τόντε θεοῖ Φόβοι, καὶ αἰδὼ, ηθεα κεδνὰ.  
τοῖαις δυνάμεσιν τίλεσσα τοκεῦσιν ἔσκιται.  
καὶ πόσιμηα πορῶν πόλεται, γυνὴ ἄξια ἀνδρὸς  
ἄξι<sup>Θ</sup> αὐτὸν πόσιμον τῷ πενθέρῳ ἀρμεν<sup>Θ</sup> ἐνί,  
τοῖ Δασίδη πόσιμον: ἐπεὶ πάρε ποιίλα δῶρα  
κοίρα<sup>Θ</sup> ἀμφοτέρω, νοέμη ἄμα καὶ ἀγορεύδη  
ἀσφαλέως, μᾶλλον τὸ μεταπέπεδον ιδμοσιώης.  
πείφηρ<sup>Θ</sup>, ζάθεον καὶ<sup>Θ</sup> τὸ μυσνίδ<sup>Θ</sup> αἴησ.  
καὶ μάλα Σαξονίης πλείνω ήγήτορι λαῆ.  
συμφράδμων ἀγαπητὸς ἐών, πινυτός τε, καὶ ἡθ<sup>Θ</sup>  
ἀπλανὲς ἐν σήθεοιν ἔχων, καὶ πίστιν ἀκάρπη.  
κείνος δπότομα<sup>Θ</sup> σάζει γλυκερός τε καὶ ἔμφρων  
μῆθ<sup>Θ</sup> ἀκίνοντων πραδίας καὶ δατα πείθων.  
ἔγγωνδ γλώσσας πορυφαίας ἔξοχα ἄλλων.  
καὶ μάλα ρωμαίην λιγέως, καὶ ἐλλάδα Φαντεῖ.  
Φθέγγεται ὡς ρητὴρ καὶ ποιητὴς μέγας ἡε.  
τοῖον αὖ<sup>Θ</sup> ἐρυ<sup>Θ</sup> ἐπεὶ τοστότων σκηνετήηων,  
συζυγίην ποτὶ δῶμα ἀγειν νῦν, νυμφίε λῶσε:  
σκηνετήης χαίρω, πωτήρια πολλὰ γαμδντε  
ἐυχόμεν<sup>Θ</sup>: δοιη γέ Θεος φρεσίρ ὅσα μενοινᾶς.  
ἀχ οἴ<sup>Θ</sup> δ', ἀμ' ἀγάλλετ<sup>Θ</sup> ἐμοὶ τὸ πλῆθ<sup>Θ</sup> ἀολλές  
προνίστραντας μολπάζον τὸ Θεὸν ὑμνοις.  
τόμ δέ γάμου τίες σέο εὐχαῖς κηρόθι τοῖαις:  
εὐτυχέοις, σὺ Ιωαννη, σὺ μὲν Ελισάβετ: αὐτὸς.

κοίρα<sup>Θ</sup>

κοίρως Θ υψηλέσσιν ευδαιμονίου σοὶ ὥπαζοι,  
καὶ δῶν μὲν ὁμοφροσύνην, παλεὸν ἢ γνέθλιον.  
ὑφράτης βίον μὲν σῆς ἀλόχου μάλα ἡτούχον ἄξενον.  
ὡς ἄρα σοὶ μὲν ἐπιφημεῖ πολυγνηθέει φωνῇ  
ἀράνιον πλῆθος, τόδε καὶ τετελεσμένον ἔσαι.

Matthæus Dresser.

A L I V D.

**H**AEC ETIAM LUCEM SPECTACULA LETA FERENTEM,  
OMINIBUS SUPERI IUBEANT DECURRERE FAUSTIS,  
QUA VIR PRAECLARO MAIORUM STEMMAE NATUS,  
PRAUERTENSQ; ANNOS VIRTUTUM LAUDE BADHORNVS,  
CUM NYMPHA STIRPIS GENEROSÆ, & IASPIDE EO<sup>A</sup>  
NOBILIORE, SACRAE PENETRALIA TENDIT AD AEDIS,  
TESTE DEO SOCIJ IUNCTURUS FÄDERA LECTI,  
MAGNATUM STIPANTE MANU, QUOS OMNIS EUNTES  
PROSEQUITUR VOTIS PLEBS, ARDESCIT Q; TUENDO,  
MAGNIFICOS MIRATA VIROS, CULTUSQ; DECOROS.  
QUOS INTER VULTU MIXTA GRAUITATE SERENO,  
IURIS APEX, VIRTUTUM EXEMPLAR, GLORIA TERRÆ  
MISNIACÆ, FAMA PEREGRINAS NOTE PER ORAS  
INCEDIS PEIFFERE, DUCUM FIDISSIMA CURA  
MAGNORUM, PATREM QUEM SPONSA VENUSTA SALUTAT,  
ET PROCEDENTI DECUS ADDIS NOBILE POMPÆ.  
UT VERO RELIQUOS INTER MICAT HESPERUS IGNES  
CLARIOR, & RADIJS DIFFUSIS AERA LUFTRAT,  
TORQUATOS INTER MAGNATES, ORE DECORO,  
CORPORIS HEROIQ; VALENS GRAUITATE, PER VRBEM

A 3

Sic in

Sic in se vertit spectantum lumina sponsus,  
Hærent obtutu qui fixi semper eodem.  
Externa specie quæ sunt, oculosq; morantur,  
Admirans vulgus, potius nihil æstimat illis.  
Nec maiora iuuant: Virtutis splendor auitæ  
In sponso, integritas, præclara scientia Iuris,  
Cum placida morum grauitate peritia rerum,  
Diuersis vario terris quæsita labore,  
Propositum recti firmum, constansq; voluntas,  
Quasq; alias culto condit sub pectore dotes,  
Quæ summis ipsum iam tum iuuenilibus annis  
Principibus, magnarum in agendo negotia rerum  
Commendant, ampio procerum miscentq; senatu.

Felices terras nostras, & tempora fati  
Lege, viris quibus est concessum talibus uti,  
His patriæ patre magnanimo cum principe saluis,  
Res etiam nostras ducemus, & omnia, saluas.

Tu quoq; pars esse speciosi maxima cœtus (tello,  
Ample BADHORNE pater, prisco æquiparande Me-  
Canitiem seu quis venerandam, acrem q; senectam,  
Vix è mille vni concessam munere diuūm,  
Seu vitam plenam grauitatis, & ora diserta  
Verba instar liquidi mellis fundentia, siue  
Cum natis spectet natas, turbamq; nepotum,  
Te quoq; nec dubito, veniens mirabitur ætas,  
Atq; tuum nomen sublimia tollet in astra.  
Sed tenet inualidos morbus diuturnior artus,  
Nec patitur fixis vestigia figere plantis,  
Quod potes, ornatis despectans ædibus, optas  
Fausta tuo gnato, præfers & gaudia vultu.

At quid

At quid in hac festa facimus nos vilia luce  
Corpora, dum iuuenum plausus, mixtaq; choreis  
Exultant clamore tubæ, & longa atria rident,  
Quod licet, exiguo gratando carmine sponsis  
Ducimus ad noua non inuitas gaudia Musas,  
Quas hodie rutilum cum Cynthius altior orbem  
Proferret terris memini sic ore locutas:  
Orta sit auspicijs lux hæc felicibus opto, C NO,  
Qua datur in thalamum claro noua nupta BADHOR-  
Dotibus egregijs virtutum predita virgo,  
Virgo puellarum decus, ingens cura parentum.  
Iunior Aonidum sponsus cum nostra secutus  
Castrasit, & faueat propenso pectore doctis,  
Virtantus quid ni Musis redametur ab ijsdem,  
Tantorumq; die ipsius celebratur honorum,  
Cui Deus, astra, homines, & cuncta fauere videntur.  
Nam oculos referens ad magni lumina mundi,  
Aspice quam dextro procedant ordine stellæ,  
Quæ motu variante plagiis errare feruntur  
Ætherijs: Omnes simul in supero æxe morantur,  
Nec vult nulla imo mergi sub gurgite, donec  
Agmine spectarint iuncto inceptos hymenæos.  
Blanda Venus curæ cui sunt connubia, sedem  
Ante alias celsa sibi legit in arce supremam,  
Desuper & spectat radijs felicibus orbem.  
Cœlestis sequitur quam Cancellarius aula,  
Pinnatas gestans plantas Cylennia proles.  
Hinc duce Gradiuo Phœbus stipatus, in armis  
Haud ira ardenti, qua fundit Aquarius vrnas,  
Conspicitur rex ipse throno sublimis in alto.

Pone?

Ponè legunt cuius lento vestigia passu,  
Falcifer ille senex, & amico Iupiter ore,  
Primates regni, quos rex, si credimus, idem  
Fulgentem radijs frontem vallatus acutis,  
Consilijs adhibere, ubi poscunt tempora, suevit.  
Sede locata illa, castis quæ addicta maritis,  
Et iam sub terras spacio cessura diurno  
LVN A, valedicit sponsis, bona cuncta precata,  
Ad superas redditum plagas, ubi luce peracta,  
Optatos terris somnos nocte humida sparget,  
Castaque iungetur dilecto nupta marito.

Coniurasse pias ad tædas sidera dicas,  
Vsq adeo simul exoptato tramite currunt,  
Omnia coniugibusq nouis felicia spondent.  
Quare, agite, ô Charites qui nexu iungitis arcto,  
Suanibus illecebris & demulcetis amantum  
Pectora, vos sponsis dulcem aspirate leporem,  
Complexæq viri dextram dextramq puellæ,  
Mansuras in corde faces infigite, quas non  
Vlla dies, nisi mors extinguat, linea rerum  
Ultima. Sed quid opus Charitum face, quidue lepore,  
Iam pariter fixis sponsos sponsæq medullis  
Hæret amor, sed castus amor, quem maximus ille  
Coniugij castis afflauit amantibus autor.

Hic amor æternum constans perduret, in imis  
Tunc etiam cordis fibris perduret, utriq,  
Cum vita quondam studijs concordibus acta,  
Effæto vegetæ frigebunt corpore vires.  
Interea donec vitali luce fruuntur,  
Succedant ipsis optatis omnia cœptis.

Quæ

Quæ delubra olim tenuit Dea diuite cultu  
Antia, fundat opes, celebres & præstet honores,  
Quos vicibus varians fors vertere nesciat vñquam.  
Deniq; qui referant virtutum laude parentes,  
Hærentes in aui complexu, tempore longo  
Dilectos videant florere in pace nepotes.  
Hæc optant Musæ, cœli fastigia torquet  
Qui Deus, euentu faciat rata vota secundo.

M. Iohannes Albinus.

A L I V D.

**Q**uid consecrati poscit in atrio  
Templi? quid orat, dum penetralia?  
Intrat coruscans sponsus auro,  
Diuitis atq; Asie lapillis?  
  
Hunc sponsa lumen virginei chori  
Ingens, decenti consequitur gradu,  
Ornata præfulgente amictu,  
Moribus & pietate præstans:  
  
Non aureum imbreu, qui cecidit Rhodi:  
Non tincta fuco præmia glorie:  
Non blanda quæ suadet voluptas,  
Heu miseris mala damna linquens.  
  
Corrade nummos, ætheris immemor,  
Perfas nefas, quicunq; perennia  
His in caducis secla speras,  
Tartara mod aditure nigra.

B

At te

At te Badhornum longè aliud mouet  
Palmas in altum tollere supplices,  
Carum deo, Musis amicum,  
Principibusq; viris probatum.

Vt dirigat diuina potentia  
Aurâ sacrata numinis, omnia  
Mentis fidelis cogitata  
Consilijsq; referta dicta.

Sic grande mæstis præsidium reis,  
Et consulenti gloria patriæ,  
Aulæq; fulcrum non fatiscens  
Saxonice poteris vocari.

Sic te beabit prosperitas pia,  
Mensamq; cingent pignora plurima  
Seros nepotes conferente  
Numine propitio D E I.

M. Bartholomæus VValther  
Pirnensis.

ALIVD.

# ALIVD.

**A**Vsoniam legimus, rebus florentibus, urbem  
Præmia coniugibus constituisse suis.  
Si qui forte viri numerosa prole beati  
Ediderant socij pignora plura thori.  
Sic censebat enim patriæ constare salutem,  
Imperij credens ferrea vincla sui:  
Martia si tacitiis soboles adolesceret annis,  
Aucta suo numero, viribus aucta suis.  
Quæ patriam posset sumptis iutarier armis,  
Et pia pio charis bella mouere focis.  
At quanto satius nobis hoc præmij honore  
Dignus, & in precio semper habendus erat.  
Quisquis amore Dei cœlestia iussa securus  
Coniugij casti fœdera Sponsus init.  
Ut placeat Superis, & post sua fata relinquat,  
Qui Superum iusto Numen honore colant.  
Qui sint in terris sacri plantariai cœtus,  
Germinaq; in laudes erudienda Dei.  
Hic ille est, patrio verè quem diligit igne,  
Præmia cui tribuet non peritura Deus.  
Cuius honoris nullo, nomenq; intercidet aeo,  
Qui laudem à sera posteritate feret.  
Hic etenim terris cupit, & succurrere cœlis,  
Hic patriæ assertor non negat esse sua.  
Communis patria est Ecclesia sancta piorum,  
Hanc colit, ac fulcit connubialis amor.  
Quisquis in hanc patriam non est ascriptus, is exul,  
Nec patriam veram, qua requiescat, habet.  
Hanc igitur patriam multa Virtus tuetur,  
Qui socio gaudet prolis amore thoro.  
Namq; suo gestu diuini nominis olim  
Cultores alios substituisse loco.  
Deserit hanc patriam, thalami qui negligit usum,  
Anteferens vita liberoris iter.

B 2

Namq;

*Namq; sibi viuit Christi secūrus honorum  
Et gregis, à Christo qui duce nomen haberet.  
Hunc ergo vetuit spectacula videre Lycurgus,  
Qui Laccidemonijs regia iura dabat.  
Cum populus ludis spectandis deditus esset,  
Edens laticiae publica signa suæ.  
Tum latitare domi cœlebs est lege coactus,  
Gaudiaq; in vacuo iussus habere thoro.  
Quin etiam celebris lex est antiqua Laconum,  
Qua triplici mulcta tum metuenda fuit.  
Prima tenebat eum, socios qui ex osus amores  
Uxorem nunquam ducere certus erat.  
Altera dicta fuit Sponso, quem languidus annis  
Sero nimis veniens extimularat amor.  
Tertia, sed reliquis grauior, recidebat in illum,  
Qui prauam in thalamum iusserat ire suum.  
Nam similem simili nasci verissima fama est,  
Et mala sunt, coruus quæ malu ona parit.  
Hac ideo meminisse iuuat, quia discimus inde,  
Quæ fuerit quondam gloria, quantus honos,  
Quo sacras etiam gentilis opinio tædas  
Ornauit sensus pro ratione sui.  
Nam sine luce Dei, sancti sine munere verbi  
Nemo potest vera cognitione frui.  
Quin umbras potius, quam res amplectitur ipsas,  
Proq; nucis fructu vile putamen haberet.  
Sic quoq; natura genies ducente probarent  
Legitimos thalamos coniugis, atq; viri,  
Sed primos fines, verasq; appendere causas  
Per tenebras mentis non potuere suæ.  
Has Sponso nouisse datum est, cui Phœbus ad aras  
Tendenti hunc roseo protulit ore diem.  
Ille diu sedans, quæ sunt amplissima, tandem  
Repperit ingenij dexteritate sui.  
Omnibus unde bonis, quæ vita postular usus,  
Affluere, & felix creditus esse fuisse.*

Anamnesis

Attamen haud potuit sibi felix ipse videri,  
In medijs potius visus egere bonis.  
Deērat enim reliquis longē præstantius unum.  
Quo Deus utendum censuit esse bono.  
Hoc iam dante Deo, cupidis amplectitur ulnis,  
Hoc parto, in terris omnia diues habet.  
Non poterat summis contentus honoribus esse,  
Deērat enim titulus coniugis, atq; patris.  
Hunc coniunx factus, posthac (Deus approbet omen)  
Et pater, hic quando finiet annus, erit  
Quare iam numerum vere est referendus in illum.  
Quem Deus assidua curat, & auget ope.  
Dum talem instituit socia cum coniuge vitam,  
Quae placet è multis millibus una Deo.  
Iam ludum ingreditur, quo præter cætera discet,  
Ut soleat cœtum Christus amare suum.  
Christus enim pingens sese sub imagine Sponso  
Affectu quo nos diligat, ipse docet.  
Ergo tibi grator successus Sponse secundos  
Sponse fide prestans, iudicioq; grauis.  
Quod dederit tandem fausto Deus omne Sponsam,  
Cum qua sis iunctis menuibus una caro.  
Quae cunctas etiam generoso in pectore dotes,  
Casta quibus laudem virgo meretur, habet.  
Ingredere ô nimium felix hac Sponse puella,  
Et Sponso felix Elisabetha tuo.  
Dignus es hanc socio Sponsam tibi iungere lecto,  
In thalamos eadem digna venire tuos.  
Quam bene disposuit Deus omnia, namq; Iohanni  
E multis coniunx Elisabetha venit.  
Nomina si reputem, sunt ipso dulcia sensu.  
Ni fallor, longē dulcissimum erit.  
Te quoniam Sponsum commendat GRATIA, Sponsa  
Præstabis, quæ sunt grata futura mea.  
Illa tibi simili pietate placere studebit,  
Non minus officijs ingeniosa suis.

Namq<sub>3</sub> D E I R E Q V I E S pacabit corda molestis  
Officij curis irrequietatui.  
Sed quid opus multis? Virtus utriusq<sub>3</sub> parentis  
functa suum ostendet fortius ipsa decus.  
Arboris in fructu bonitas sese exeret omnis,  
Qua fuerit radix indole, ramus erit.  
Quod super est, nostris ut sint rata singula Sponsis,  
In precibus finis carminis huic erit.  
Nate Dei, lecti cui sunt pia fæder a cura,  
Hos in tutelam suscipe Christe tuam.  
Hos Sponsos defende, tua complectere cura,  
Ut possint solida prosperitate frui.  
Ut Pylios viuant animis concordibus annos,  
Mutuus & nullo tempore cesset amor.  
Ut videant natos natorum ex ordine longo,  
Perpetua quiete religione colant.  
Quos pater in veram Viri uiem suscitet ipse,  
Quos anus exemplo ducat uterq<sub>3</sub> suo.

M. Daniel Menius.

## A L I V D.

**A**mbiguis nondum penitus decisa vagatur  
Questio vorticibus, neq<sub>3</sub> controuersia parua,  
An cœlebs possit felicior esse marito,  
An vero iunctus sit fortunatior illo,  
Qui viduo solus gaudet sibi vinere lecto.  
Res, equidem fateor, non est tam parua, reponam  
Commoda quæq<sub>3</sub> suo proprio, atq<sub>3</sub> incommoda iuxta  
Conueniente loco, sic res examine libra  
Et trutinâ instâ pensata, vel hanc vel in illam  
Nutabit partem, & melior sententia victrix  
Lætior euadet, neq<sub>3</sub> debita munera palme  
Abscondet partæ demissis pigra trophæis.

At



At tu soliuage peragis qui tempora vita,  
Magna souere sinu te commoda forte putabis.  
Dum tibi quod libeat, liceat, nec iussa capesses  
Ullus, uxoris neq; morum, vicitus amore,  
Frena ienella tua subeas, dubiusq; reportes  
Imperij fasces, & qua sit vita, modusq;  
Flectendi sociæ varium & mutabile semper  
Cor animumq; tua, queras indagine multa  
Anxius, insomnis totas noctesq; diesq;  
Heu nimium varius, nimium mutabilis ille  
Fœmineus sexus, quo non violentior ulla  
Pestis ab infernis tumidum caput exerit umbris,  
Aqua mens, aures, oculi, ratio omnis abhorret.

Fœmina, quod patulis oculis atq; auribus hauri,  
Semper alit monstrum, varioq; in pectore semper  
Grande animi vitium tegit, inde superba ferocia  
Hæc animi tollit fastidia, & ilia tendit  
Spiritus, atq; ingens fastus, mox illa marito  
Intendit litem, pectusq; opponit acerbum,  
Et demens iras ad plurima secula seruat:  
Aut etiam illicita, fœdaue libidine lectum  
Conspurcat, Dominum verbis astuta dolosis  
Decipit & fallit, virtutis tramite plano  
Et recto, quacunq; potest, à calle recedit.

His tibi, si cœlēbs fueris, si coniugis absque  
Mobilis amplexu longum traduxeris annum,  
Liber es à grauibus curis, neq; corpora nati  
Obruta morborum rabie tua pectora tundunt:  
Filia nec loculos exhaustit nubilis annis,  
Aut Veneris furtis animum lasciva paternus  
In partes varias nunc huc nunc diuidit illuc.  
Nec laudis natus patriæ virtutis, & oris  
Degener, auerti monita & precepta paterna,  
Optima consilia, & vitium seductus ad omne  
Applicat ingenium, mores sequiturq; sinistros.

*Non dolor infelix mentem, non viscera tabescit  
Conficit multum, si cœlebs duxeris annos,  
Delitijs animum saturabis, gaudia mille  
Percipies, quidvis faciendi plena potestas  
Semper erit concessa, tibiq; per urbis & Orbis  
Totius inumeros licitum discurrere vicos.*

*At tu, qui propriam stabili tibi iungere vinclo  
Exoptas sociam, multò maiora videbis  
Commoda, quam possit cœlebs incommoda fari.*

*Sit tibi fœmineus suspectus crimine quodam  
Et vitio sexus nigro carbone notatus:  
Sit tibi, num ponas penitus, quod nullius uxori  
Sit pia, sit constans, proba, casta, pudica, fidelis.*

*Falleris ô nimium, cœca sub nocte vagaris  
Errorum, recterationis & indigus hæres.*

*Si morosa tuum concendit fœmina lectum,  
Aut petat amplexus lasciva puella iugales:  
Non tu coniugium, thalami non fœdera sancti  
Protinus incuses, tua culpa redarguit ipsa  
Molliter acta tua iuuenilis tempora vitiæ.  
Si non legitimè tua regna iugalia curas  
Ignarus rerum, merito tua colla subacta  
Imperio mulier iusto premet atq; domabit.  
Filia si tibi sit, si natus degener ipse,  
Non est quod soluas in tristes ora querelas,  
Aut multis lachrymis deplores dedecus illud.  
Poena tuae culpa, mercesq; est aqua labori.  
Non te lascivis pueris reserare capistra  
Arcta decet, vitijs nec connuere nefandis.  
Fuste coerceri debebant, atq; tenera  
Astricti legum vinclis, dictisq; paternis.*

*Quid iam soliuagos terras lustrare remoras,  
Quid iuuat in noctem pateras siccare profundam,  
Quid furor, & vitium quodvis leuitatis habebit.  
Egregia laudis? non villa Epicure moretur  
Grex tua pororum tumida cule, munera laudum.*

*Crassus*

Crassus Aristippus, tardusq; ab domine pingui;  
Et grata sensus nimium dulcedine captus,  
Ampla sibi laudum preconia nulla paravit.  
Detestanda pijs vitiorum semina Bacchus  
Meritibus, & pueris contagia dira reliquit,  
Atq; bonos mores rebus commiscuit aegris.

Corniger at Vates, at sacri Codicis amplius  
Maiestas, sancta nobis expressa reuelat  
Signa voluntatis, monumenta arcana recludit  
Numinis, imperio quod temperat Orbis habens.  
Id iubet, atq; monet, quod in una sedem moretur,  
Et bene conueniant uxor sociata marito  
Fœdere legitimo thalami, nexuq; iugali.  
Cuius ut ad nutum reverentia debita nostris  
Pectoribus sedeat, monita & sacrata sequamur,  
Et decet, & pietas aeo inter mortua nostro  
Iusta, suo proprio stimulat præcordia motu.

Tu mihi nunc oculos, animum, tua corda reflece.  
Ad qua per virides errant animalia campos,  
Alituumq; greges, qui pennis aëra sindunt:  
Nempe per exemplum, moresq; docemur eorum,  
Coniugij illecebras sublimi in honore locandas,  
Et fœtus partos lecti diuina iugalis  
Pignora, iure suo foueamus, & indigacorda  
Diuinâ pastu repleamus sorte relicto:  
Ni de more Nothi cupiamus fata suprema:  
Scandere, & aeternis sopitum nomen in umbris  
Linquere, nec patrios nummis angere penates.

I nunc compulsus Furijs & mente sinistra,  
Immemor arbitrij diuini, sana repelle  
Ingenti fastu vera documenta salutis,  
Nec dictis victus cessato absistere falso.

I nunc si formam grandaua tibi eripit etas,  
Exhaurit vires, pellis vix ossibus haret.  
I nunc, si morbi rabies depascitur artus  
Exangues, Pestis si te contagie propinquat

B 5

Ladit,

Ledit, & infectum Basilisci imitata venenum  
Suffocat, si te curarum torquet iniquus,  
Ingratusq; aestus, vel serpens inuidamordet,  
Ærumna plenus queras exierna propinquus  
Subsidia humani officij, vel fratris amorem:  
Næspes ingratis & inania vota fonebis.  
Rebus in aduersis, dolor ô, sine iure, fideq;  
Omnia sunt frater, socius, patruelis, amicus.  
Et quamvis paulum simulant extendere dextram  
Latiri auxilium, quin spes suspendat manis  
Et capiat mentem, lachrymis deserte notabis:  
Non est qui renuncet medys in pristina vires,  
Non est qui blanda pectus spe susciet agrum,  
Aut animi dictis morentis mulceat aestus.  
Sed sunt, qui poscunt nummos, aurumq; repotum,  
Et voto unanimi tua fata suprema morentur:  
Mente voluptatem capiant, dent pectore gestus,  
Gaudia concipient, si quando morte fatiscis.  
**V N I C A** fida comes, Vitæ socia atq; laborum,  
Unica sola tuæ spes & tutela salutis  
**V X O R**, qua præsens minime preciosius atq;  
Maius habet vita cursus, nec terra, nec aether.  
Illa quidem patrio, matrisq; ab amore recedens,  
Se fidei q; tuæ, sese tibi credit & uni,  
Aspectu blando, placidoq; fauore fonebit  
Mentem, & vitam tecum extrema per omnia ducet:  
Inq; auras edens dulcissima pignora lecti,  
Surpis grande decus firmabit, nomina gentis.  
Se rebus sociam adiunget tibi, si quæ potenteris  
Gratia te regis sublimi in honore locabit,  
Aut plagam infliger famæ vis aspera lingue.  
Vel numni veniant, vel desint, firma futura est.  
Sin mentem in varias reuocari ratio anxia partes,  
Seu vires senium labefecit, sine reuinxit  
Senalues artus, astat tibi proxima succis,  
Et senij, & rebus pressis est dulce lenamen.

Momenta

Momenta officij perpendens omnia canit,  
Allicit imberbes natos, natasq; sequaces  
Solliciti simili foueant ut pectora curâ,  
Pabulaq; alternis vicibus tibi grata ministrent,  
Amittis quando formam floremq; iuuentæ.  
Et nec ad extremum claudens tua lumina leibum  
Ornamenta tuae gentis delebit, & amplum  
Stemma tuum vacuum euulsa radice refiget.  
Quin potius virtus retrò vertetur in annos  
Impubes, acri natorum fulta vigore,  
Atq; nouus succus moribundos imbuet artus  
Stemmatis, eternum clara virtute tuorum  
Immortalis eris, tua fama manebit in ænum,  
Nomen, honos, virtus, laudes & gloria rerum.

Nunc tu distincto, tu nunc examine in unam  
Imponas lancem, quæ calebs commoda narrat,  
Quæ rursus iunctus firmis rationibus afferit  
Emolumenta, pari studeas ratione locare  
Oppositam in partem, moueasq; repenitè stateram.

Nonne tuis oculis cernis, quod pagina iuncti  
Mole sua ad terram nutet propensior, illa  
Ceu quid sustineat vacuum, tollatur in altum.

Victor iō, ter victor iō, tua commoda calebs,  
Commoda nulla vides, vincunt incommoda mille.  
Te super exanimem grauis aduersarius herens  
Legitimi consors thalami, de more triumphum  
Latus agit, sese dictis oblectat & infit:  
Hæc mihi de pugna successit laurea parta,  
Hosce fero armorum strepitus, hæc ampla reporto  
Præmia, victor ouans spolia & vexilla cruenta.

Erga nulla meam subit admiratio mentem,  
Quod BADEHORNE tibi potior sententia cessit  
Lege quidem motus diuini Numinis, atq;  
Exemplo patrio felix, animosior audes  
Quærere legitimos thalamos, sanctosq; hymenæos,  
Quos tibi commendant scripture dogmata sacra.

Vividæ

*Vinida doctrina quæ præbent pabula pure.*

*Quos Legum pelagus, spinosa volumina Iuris  
Iustitiae vigiles, fida statione locarunt.*

*Quos senior Cows, Medicorum norma Galenius  
Utrō corporibus sanis iniunxii habendos.*

*Solus Aristoteles monstrosa piacula dixit.*

*Sed vinat rigidi valeat sententia docti,  
Nasutiq; Sophi: tua non, neq; nostra moratur  
Unica, nulla tamen leuioris opinio mentis  
Pondere cassa, bono connubia sidere cepta.*

*Solus is à tædis incertus abhorreat aquis,*

*Solus is igniuoma truculentior horreat Æina:*

*Non tua, non debet, falsis erroribus actuo*

*Persuadere suis præcordia credula verbis.*

*Non silices animum, non duri pectora circum*

*Pondera vasta geris ferri, cantusq; reposta*

*Astuti Veneris non admittentia nati*

*Tela facesq; ienes, vnguenta capacibus urnis.*

*Non sinit esse ferox tua mansuetissima Virtus,*

*Non crudele tibi rerum Natura ministrat*

*Ingenium: humanos illud formauit ad usus,*

*Et decus, & mentem, & formam coniunxit in unum.*

*Quod si blanditijs morata puella modestis*

*Alloquij dulcis, roso suffusa rubore*

*Infelix lateri vulnus, seriemq; diremit*

*Costarum mira nexam compagine, non est*

*Quod tibi turpe putes, laudem res ipsa mereitur.*

*Si tua virginei iuuenilia corda perurit*

*Æstus flamma potens, facilis medicamine rursus*

*Virginem frigus tollit sedatq; dolores.*

*Sic quoq; confitear, quid enim manifesta negarem,*

*Virginis os, facies, gladij penetrabilis ictus*

*Costas transadigit nostras, sed melle lenabit*

*Hybleo vulnus, sed dulci melle lenabit,*

*Nectareo succo siccabit, ritè fricabit*

*Floribus ambrosiae Diuum redolentibus instar.*

*Quo*

Quō feror? Euge tuis thalamis B A D E H O R N E pātāis  
Debita vota quidem gratanti carmine pando,  
Debita pro meritis, quod si facundior esset  
Vena mei ingenij, si labra rigasset Apollo  
Pendula Pegasei facundo flumine fontis.  
Et genus, & patriæ dignissima munera laudis,  
Et formam sponsa numeris disponere vellem.  
Eloquij facilis si mitior aura faueret,  
Non sacer Aonij lampas clarissima cætus,  
Non sacer Augusti procerum doctissimus unus  
Imperij, ob mentis cuius contexta vigorem,  
Ingenij dotes, Musis plaudentibus ipsis,  
Lauro serta caput cingunt, frontemq; serenant,  
Prætereundus erat sicco pede, dignus ab ipso,  
Æternis laudum monumentis, atq; trophais  
Ornari merita virtutis Apolline Vatum  
Musarumq; Deo. Nam huius schola nostra fuetur  
Consilijs sanis, & late germine frondet,  
Exemplo viridis lauri, quam densa perenni  
Vere coma exornat: cuius sapientia vincit  
Fraude dolos stratos, & cuius acumine mentis  
Aula gubernatur dextrè, Respublica floret  
Omnis, & in iuta requiescunt sede coloni,  
Quos premit imperio, iustisq; coercet habens  
AVGVSTVS patriæ pater, & ter maximus heros.  
Unica Diuini Romani firma columna  
Imperij, Patriæ stabilis fiducia nostra.

Sunt grauiora meis humeris preconia tanta,  
Sunt grauiora lubens fateor, tum munus ad illud  
Arduum, & ingenij & mentis sum viribus impar.  
Non mea, sed vatis poscunt diuina Maronis  
Carmina, tantarum laudes & gloria rerum.

Tu modo ter salue, Themidis venerande sacerdos  
Aurea tuq; scholæ lampas, fax lucida nostræ,  
Regula Iustitia, senior B A D E H O R N E , probate  
Interpres Legum, virtutis norma decusq;

Exemplum

*Exemplum antiquæ fidei, candoris honesti.  
Ter mihi iam salve decus ô venerabile morum:  
En titulis, monitis, præceptis, moribus, æquos  
Optatosq; tibi natos : En gaudia summa  
Pertinentia animum tacitum, pectusq; senile.  
En tibi debetur dulcisima copia laudis  
Natorum, infirmi qui corda senilia Patris  
Obsequio decorant, sustentant laudis amore.  
Dei tibi diuinum, quod torquet sidera, Numen,  
Cum socero simili virtutis honore ferendo,  
Dum series æui currit volentibus annis,  
Aspicere innumera feruentes stirpe nepotes  
Ex serie in seriem, nec dulcis stamina vita  
Abrumpant Paræ. Cum Sponsis fædere iunctis  
Nestoreos superes annos, dignissime Nestor.*

M. Ioannes Steinmetz.

Ἄλιμον θεῶν θόξα.





Za 1161 GK


X2207243

m.G.



B.I.G.

FarbKarte #13



AK. 234.

CLARISSIMO ET EXCELL.

VIRO,

DN. IOHANNI BADE-  
HORNO LEONHARTI IVRIS-  
CONSULTI FILIO,

ILLVSTRISSIMI ET PO-  
TENTISSIMI PRINC. AVGVSTI  
ELECTORIS SAXONIAE  
CNSILIA.RIO.

AT QVE

LECTISSIMÆ ET PUDICISSIMÆ  
VIRGINI,

ELIZABETHÆ PEIFE-  
RÆ, MAGNIFICI VIRI DN. DA-  
VIDIS PEIFERI IN GOSIGK, &c. INTIMI  
CNSILIA.RI EIVSDEM ELE-  
CTORIS SAXONIAE,  
FILIAE.

Carmina nuncupata solenni votorum nuptialium  
comprecatione.

LIPSIA,

IMPRIMEBAT GEORGIVS DEFNERVS,

ANNO

M. D. LXXXI.III.

